



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

4 Praeconizatio quid sit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

- 21 Consecrari debent Episcopi infra tres menses.
- 22 Ordinis potestas per consecrationem acquiritur.
- 23 Episcopi per totam diocesim habent ordinariam jurisdictionem.
- 24 Episcoporum appellatione, qui veniant.
- 25 Ordo sacerdotalis post Christum à Petro incepit.
- 26 Episcopi officium quomodo facile, & difficile.
- 27 Episcopum, qualem esse oporteat.
- 28 Episcopi munus, in quibus consistat.
- 29 Episcopi, quales esse debeant.
- 30 Episcopi, quomodo subditis præesse debeant.
- 31 Canonici cathedralium ecclesiarum, quomodo sint corrigendi.
- 32 Crimen hæresis, etiam in loco exempto commissum ab Ordinario cognosci potest.
- 33 Exempti, etiam regulares, extra claustra degentes, ab Ordinariis locorum corrigi, & puniri possunt.
- 34 Episcopi dominicis, & solemnibus diebus missam celebrare tenentur.
- 35 Episcopi suarum diocesum, & etiam æternorum, animarum cura debent habere.
- 36 Ecclesiarum substantia per filios solet periclitari.
- 37 Filios, vel nepotes ex filio habens, non est Episcopus eligendus.
- 38 Eliguntur Episcopi filios habentes de consuetudine.
- 39 Filius est argumentum ambulans super terram de incontinentia patris.
- 40 Filii in ecclesiis parentum, vel vacantia per mortem parentum beneficia obtinere non possunt.

EPISCOPI † eliguntur, confirmantur, & consecrantur. Eliguntur ad Episcopatus à patronis jus patronatus habentibus à Papa confirmandi, si idonei sint electi, ut ad Episcopatum Viglevanen. à Rege Hispaniarum, & ad Episcopatum Fossanen. à Duce Sabaudie titulo fundationis, & dotationis modernis temporibus ultra alios aliis fundatos, & dotatos per ipsos legitime acquisito †, cum dotatio, & fundatio sint duo ex tribus modis acquirendi jus patronatus, *cap. decernimus, cap. monasterium, cap. rationis ordo, 16. q. 7.* & Concil. Trid. *cap. 9, de reform. sess. 25.* & licet à patronis ad beneficia juris patronatus nominentur, † nominatio, & electio idem sunt, *cap. cum terra, & cap. cum in jure, de electio, & l. nominatio forma, ubi gloss. C. de decur. lib. 10.*

4 Ad Episcopatus, † qui ad liberam Pape dispositionem spectant, eliguntur, cum in Consistorio præconizantur, & præconizatio habet vim electionis, cum fiat tantum ad effectum nominandi personam ad Episcopatum assumendam, ut, si quis sciret aliquod impedimentum, quominus taliter præconizatus assumi deberet, illud manifestare posset, & ista præconization nullum tribuit jus, aut jurisdictionem, nec potest quis illius vigore fructus percipere, cum Episcopus nominatus, donec à Papa fuerit provisus, se in jurisdictione, & fructuum perceptione immiscendo, sit intrusus, *cap. quod sicut, in princip. de elect. Rebuff. forma dimiss. lit. par. 1, n. 3.* & Oldrad. *conf. 246, n. 1.* Confirmatur postea, † quando alia die in eodem consistorio, fabricato prius processu super vita, & moribus pro-

MOVER-